

Σὺν Θεῷ

Disputatio Theologica ἀποσκευαστικὴ

De

EXTREMA UNCTIONE
contra Becanum;

Quam

In Inclytâ Academiâ Lipsiensi

Jussu atq; Autoritate Adm. Rev. atq; Amplissimi
Collegii Theologici

Sub Præsidio

Adm. Rev. Amplissimi atq; Excellentissimi Viri

Dn. HEINRICI HÖPFNERI SS. Theol.
Doct. & P. P. celeberrimi &c.

Domini Præceptoris Fautoris ac Patroni sui
meritissimi

Pro collato sibi Baccalaureatus titulo in SS. Theologiâ,
publico Examine subjiçiet

M. ANDREAS KUNAD SS. Theol. Bacc.
Electoralis ad Salam Gymn. Rector.

ad d. 10. Septemb. Anno Salutis

M. D. C. XXXIII.



L I P S I Æ,

Excudebant hæred FRIDERICI LANKISCH.

TH 108



Σὺν Ἰω̄ Θεῶ.

Ἑποσίμῳ.

Nter complures alios Scholæ Anti-
christianæ errores, non exiguus est,
quem illius sectatores fovent de nu-
mero Sacramentorum, quando
præter illa duo à Christo Salvatore
instituta Novi Testamenti Sacramenta videlicet
Baptismum & Eucharistiam, alia quinq; ὁμωνύμους
ita dicta Ecclesiæ Catholicæ pro veris satagunt ob-
trudere, veluti sunt Confirmatio, Pœnitentia,
Ordo, Matrimonium, atq; Extrema Unctio.
Etenim si hæc recensita quinq; vel maximè essent res
bonæ, cujusmodi pleraq; sunt : tamen illis extra
Scripturam Θεῶ τῶν ἁγίων affingere titulum Sacramen-
torum propriè dictorum, falso tribuere vires divi-
nas, religiosam observationem affricare, &c. id ve-
rò nefas est homine Dei qui ad Verbum scriptum
ablegatur Job. 5. indignum. Sed hoc Antichristo
solenne futurum prædixit Sacra Scriptura, ut sese
pro Deo gereret, quod & strenuè præstat, quando
quorundam Institorum fabulas sub honorario divi-
næ autoritatis titulo venditat, ex iisq; Articulos fi-
dei confirmat; aut è contrario Christi ipsius Testa-

mentariam Institutionem malitiosè corrigit ac pèr-
vertit. Hoc enim est ex non existentibus aliquid fa-
cere, & aliquid vicissim in purum nihil commutare,
id quod solius Dei proprium est, Hebr. 11, 3. Quam-
vis autem de singulis his, e quinq; falso dictis Saera-
mentis satis esset materia disputandi: tamen quia
jussu atq; autoritate adm. Rev. atq; Amplissimi Col-
legii Theologici hoc tempore de Extremâ Unctione,
despiciendum est, insistemus hâc vice vestigiis Mar-
tini Becani Jesuitæ, de eâ dicturi primùm ac preci-
puè, An sit Sacramentum propriè dictum. 2. de ma-
teriâ illius. 3. de Formâ. 4. de Effectu. 5. de Ministro.
6. de Suscipiente. 7. de Necessitate. Esto ergò cum
Deo propitio.

I. THEMA.

**Extrema Unctio non est Sa-
cramentum propriùssimè sic dictum?**

I.

Hic ante omnia opus est Terminorum explicatione,
quid intelligatur per extremam Unctionem, quid item
per Sacramentum.

2. Extrema igitur Unctio in Papatu dicitur esse
sacrum signum in exorcisato oleo olivæ, quo Sa-
cerdos ægrotum in periculo mortis constitutum
ungit.

ungit in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus & renibus, ut per illud cœlestis virtus ad salutem animæ ac corporis applicetur ægrotis.

3. Oleum, quo utuntur volente esse oleum olivæ consecratum & benedictum ab Episcopo, idq; non nisi feriâ quintâ Cœnæ Dominicæ, & quidem ita, ut Episcopus primum consecret totam Olei ampullam his ferè verbis: **exorcizo Te immundissime Spiritus, omnisque incurio Satanae & omne phantasma in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit fieri Unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi.** Deinde verò benedicat ipsum Oleum: **Emitte quæsumus Domine Spiritum Sanctum Paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, refectioem mentis & corporis &c.** quemadmodum ex illorum libris recitat Chemnitius in Exam. In usu verò commemoratæ Unctionis Presbyter tenetur hæc verba recitare: **Per istam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid peccasti per visum &c. & sic consequenter de cæteris sensib.** Canisius cap. 1. de Extr. Unct. **Extrema** autem dicitur hæc Unctio ab extremo mortis articulo, quo solet adhiberi.

4. Cæterum in primitivâ Ecclesiâ Unctio fuit **Medium miraculosæ sanationis, sicut est Marc. 6, 13.** Ubi Apostoli dicuntur unxisse oleo ægrotos, eosq; sanitati restituisse, usi hoc medio; non quod oleum haberet hanc naturalem vim medicam reddendæ sanitatis, **Miraculosus**

enim erat effectus: Sed ut monerent ægrotos, divinitus con-
ferri sanitatem, ideoq; hâc occasione altiùs ascendendum
esse ad quærenda & agnoscenda beneficia Salvatoris. Chem.
d. l.

5. Prædicatum quod attinet, nota est *ὁμοωνομία* Sacra-
menti, quippe quod accipitur 1. Communiter quando ex
usu Ecclesiæ significat rem arcanam doctrinæ Christianæ,
ut est incarnatio filii Dei 1. Tim. 3. v. 16. Redemptio Col. 2. v. 2.
Unio Christi cum Ecclesia Eph. 5. v. 32. 2. Strictiùs pro
rei illius arcanæ signo: sicut Augustino Crux Christi dicitur
Sacramentum. Ep. 12. & Serm. 19. de Sanctis. Sic Bernhar-
do ablutio pedum Apost. Sacramentum appellatur in Serm.
de Cœnâ Domini. 3. Strictissimè, quando sumitur pro
dispensatione & sanctione rei cœlestis per verbum divinum
signo visibili & quidem substantiali unitæ ad offerendam,
applicandam & obsignandam gratiam divinitus instituta.
Quo ultimo significatu & nos in Quæstione vocem Sacra-
menti accipimus, quod cum Menzero sic definimus:
Sacramentum est sacra & solennis actio, quâ
Deus per suum Ministrum nobis dispensat rem
certam peculiari verbo institutam ad offeren-
dam nobis & applicandam atque obsignandam
promissionem Evangelii propriam. Exeg. Aug.
Confess. Art. 9. §. 4.

6. Quando igitur quæritur, An Extrema Un-
ctio sit Sacramentum propriè dictum, Nos respon-
demus Negative: Contradicunt Papistæ Loca Scripturæ
duo pro se allegantes, videlicet Unum ex Marci 6, 13. & alte-
rum ex Epist. Jacobi cap. 5, 14. quem utrumq; excutiemus

accu-

accuratiusculè cum heic totius **Controversiæ** cardo verti videatur. Quod si enim verbo Dei destituuntur Adversarii, actum est de ipsorum sacramento.

7. De primo igitur Loco Evangelistæ Marci, Jesuita respondet duabus Conclusionibus, quarum prima est:

Probabile est, Marcum loqui de Unctione Sacramentali.

8. Quod probat I. à Testimonio quorundam Patrum. *Quia, inquit, Beda, Theophylactus & Oecumenius dicunt, Marcum loqui de illâ Unctione, de quâ loquitur Jacobus C. 5. At Jacobus loquitur de Unctione Sacramentali, ut omnes Catholici fatentur. E. & Marcus.*

9. R. I. Nos ultro & veltacentibus istis allegatis Patribus largimur, utrobique Locorum de eadem Unctione sermonem esse, licet alia identitatis ratione, quàm quæ à Beda & cæteris explicatur.

10. II. **Ad Minorem** per Inficiationem, Probatio, quam Adversarius petit à Testimonio Catholicorum, per quos Pontificios intelligit, quia domestica est in propria causâ, meritò rejicitur. Falsitatem autem Minoris ulterius explicabimus ubi ad dictum Jacobi pervenerimus.

11. **Deinde** idem probat Becanus à defectu rationis, quâ demonstratur differentia Marci à Jacobo. Argumentum ejus tale est: *Jacobus loquitur de Sacramento, E. & Marcus, Probatur Consequentia. Quia nulla est ratio cur dicamus Jacobum loqui de Sacramento, non autem Marcum.*

12. Hic licet nos acceptemus, utrumque loqui de eadem Unctione, tamen quantum ad hoc Argumentum attinet, negamus 1. **Antecedens**, cujus falsitatem sumus suo loco demonstraturi. 2. **Taceo jam**, quòd ipse Becanus sibi contradi-

tradicens in secundâ Conclusionem varia componat ratio-
num *περὶ τὸ μαρτ*, quibus diversitatem inter Marcum & Jaco-
bum evincere, sed frustra, conatur.

13. Tertio probat idem Becanus à definitione Sa-
cramenti. *Quia, inquit, definitio Sacramenti non minus convenit
Unctioni apud Marcum, quàm alteri de quâ loquitur Jacobus. E. veri-
simile est Marcum loqui de Sacramento Unctionis.*

14. R. Per inficiationem Antecedentis. Nam osten-
dant Jesuitæ, juxta superius consignatam definitionem, ubi
in Marco habeatur Verbum institutionis, ubi apex de pro-
missæ gratiæ oblatione, applicatione, aut obfignatione? Sed
videt ipse Becanus, hanc opinionem consistere non posse,
ideoq; pergit ad magis probabile. Secunda enim illius Con-
clusio est,

15. Probabilius est, Unctionem, de quâ a-
pud Marcum, non fuisse Sacramentum, sed tan-
tum figuram & quasi præviam adumbrationem
Sacramenti Unctionis.

Idem sentit Bellarminus Tom. 2. Contr. 1. de Extr. Un-
ctione, C. 2. & Concil. Trident. Sess. 14. Can. 1. de Extr. Un-
ctione.

16. R. Hujus Pronunciati duæ sunt partes, quarum
prima est: *Unctio Marci non est Sacramentum.* Altera verò,
Unctio Marci fuit figura & adumbratio Sacramenti Unctionis.

17. Primam partem facile amplectimur, sed non item
alteram, quamvis & hæc ipsa sine omni probatione ponatur,
nisi quod allegatur Concilium Tridentinum, cujus Patres
cap. 1. de Extremâ Unctione scribunt, *hoc Unctionis Sacramen-
tum apud Marcum quidem insinuaturn esse, per Jacobum autem Aposto-
lum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.*
Verùm, cum Tridentinum Concilium fuerit illegitimum,
nobis

nobis nihil præjudicare. Convenimus igitur hæcenus cum Becano, quando statuimus Unctionem Marci Evangelistæ non fuisse Sacramentum, quamvis rationes illius non omnes sint probæ, siquidem præter primam, quam paulò post afferemus, nullam amplius nostram faciamus.

18. Quæ sequitur Jesuitæ ratio petita est à defectu idonei Ministri, quem vult esse Sacerdotem. Argumentum tale est:

Sacramentum Unctionis confertur à Sacerdote.

Sed Unctio apud Marcum non conferebatur à Sacerdotibus. E. Non erat Sacramentum.

Minor. Conferèbatur enim ab Apostolis, qui nondum erant Sacerdotes, quando ungebant & sanabant, quippe qui hoc titulo donati sunt demùm in ultimâ Cœnâ, ut vult Conc. Trid. Sess. 22. C. 1.

19. R. Major Argumenti loquitur de sententiâ & praxi Pontificiorum: veritas & jus desiderantur. Nos enim in Novo Testamento propriè non habemus nisi unicum Sacerdotem, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventa. Heb. 9, 12. **Incruentum Papi-
starum Sacrificium** propriè sic dictum, est σιδηρόζυλον, cum sine sanguinis effusione non fiat remissio. ib. v. 22: Ac longe distat à patrum veterum sensu qui hac phrasi non nisi metaphoricum sacrificium, qualis est oratio, feria pœnitentiâ &c. intellexerunt. Falsum igitur est & illud, quod in Minoris probatione dicitur, Apostolos nimirum in ultimâ cœna fuisse constitutos Sacerdotes, quicquid etiam comminiscantur Patres Tridentini.

20. Præterea Major agit de Ministro, non secus, ac si res salva sit de Sacramento, quod ipsum tamen in Quæstio-

B

ne

ne versatur. Meminerint heic obiter Jesuitæ illius Tralatitii
Non-Entis nullæ sunt Affectiones.

21. Tertiã rationem petit Becanus à conditione Recipientis; ex parte valetudinis: *quoniam Apostoli unxerunt quoslibet egrotos, ut cæcos, claudos &c. cum tamen Sacramentum Unctionis non detur nisi illis, qui sunt in periculo vite.* Hinc Syllogismus fit ejusmodi.

Sacramentalis Unctio non datur quibusvis egrotis promiscuè ut cæcis & claudis.

At Unctio apud Marcum data fuit quibusvis egrotis ut cæcis & claudis.

E. Illa Unctio non fuit Sacramentalis.

22. R. In Majori iterum 1. præsupponit, quod probare nequit Adversarius, videlicet esse in Ecclesiã Christianã ejusmodi Unctionis Sacramentum à Christo institutum. 2. Exponit saltem praxim Pontificiorum & negligit jus atq; veritatem dogmatis.

23. Quartã rationem petit Jesuita rursus ab alia conditione recipientis ex parte regenerationis, quæ fit per Baptismum. Argumentum est ejusmodi.

Sacramentum Unctionis præsupponit Baptismum.

Sed Unctio apud Marcum non præsupponit Baptismum.

Apostoli enim ungebant omnes egrotos etiam non baptisatos & infideles. Ergò.

24. Major sine probatione posita involvit *πρῶτον* *ἰεὺς* &c. esse aliquod Unctionis Sacramentum. Ita nimirum disputant Sophistæ, ut veluti concessum sumant, quod maxime est controversum. Neq; enim Becani tanta est auctoritas, ut sine verbo Dei scripto nobis quicquam possit obtrudere aut ad credendum persuadere.

25. Quin-

25. **Quintam** & efficacissimam, scilicet! rationem petit ab autoritate Concilii Tridentini, quod l. d. disertè testatur, *hoc Sacramentum apud Marcum esse insinuatam, & per Jacobum promulgatum.* Quod si perconteris, quid sit **insinuari?** Becanus explicat, perinde esse atq; *non expressè poni, sed adumbrari & obscurè indicari.*

26. Verum hæc sunt nuda verba, quæ cum rejicula Tridentinæ Synodi existimatione facile evanescent. Sed nec ad mentem illorum Patrum congrua est explicatio Becani, qui **insinuare** explicat per **adumbrare** vel **præfigurare**, sicut & Bellarminus. Nam quod Concilium dicit **insinuare**, Catechesis Tridentina publica autoritate conscripta, vocat **specimen edere**. Jam verò specimen alicujus rei edere, non est illud adumbrare, sed actu & formaliter exercere. Atq; hætenus rationes Becani.

27. **Nost**ra sententia est, **Unctionem** cujus meminit Marcus, non esse sacramentum; id quod probatur ab **Instructione discipulorum Christi**: Nam Donorum, quibus tum instructi fuere discipuli, usurpatio, non fuit Sacramentum.

Sed **Unctio** illa apud Marcum fuit usurpatio donorum. **E**. **Unctio** illa apud Marcum non fuit Sacramentum.

28. **Major** probatur. Quia illa dona fuerunt **specialia** ad miraculorum non Sacramentorum designationem determinata, ut est Matth. 10, 1. Accersitis duodecim discipulis suis dedit potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos & curarent omnem langvorem & omnem infirmitatem. Eadem habet Lucas c. 9. 1. & ipse Marcus cap. 3, 15. 2. fuerunt illa dona **temporaria**, quæ

post Apostolorum tempora defierunt; cum contra Sacramenta sint perpetua & non nisi ultimo Judicis supremi interventu abolenda.

29. Minor manifesta est. Quicquid enim Marcus cap. 3. discipulis injunctum esse meminit, id hoc loco cap. 6. ab ipsis præstitum esse adseverat. Sed ibi discipulis commissum esse meminit donum miracula edendi. E. hoc loco nihil aliud adseverat præstitum esse ab illis, nisi *Ἰαυμα-Ἰερρίαν* & usurpationem commissæ potestatis sanandi.

30. Alter locus, quem pro se allegant adversarii, extat in Epist. Jacob. cap. 5, 14. *ἀδελφεὶ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλέσθω τῶν πρεσβυτέρων τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν αἰλέψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου καὶ ἡ δύχη τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερῆ αὐτὸν ὁ κύριος, καὶ ἁμαρτίας ἢ πεπονηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ.*

31. Ex his igitur verbis statuit Becanus evidenter convinci posse, quod Unctio Extrema sit Sacramentum; addita Ratione, quod omnia tria Sacramenti Requisita hoc loco reperiantur, ut sunt Symbolum Externum, Promissio gratiæ, & divina Institutio.

Argumentum tale est.

Quicquid habet 1. Elementum externum, 2. promissionem gratiæ, & 3. divinam institutionem, illud procul dubio, est Sacramentum propriissime dictum.

Sed Extrema Unctio habet hæc omnia (ex allegato loco Jacobi.)

E. Extrema Unctio habet (ex allegato loco,) ut sit Sacramentum propriissime dictum.

32. Majorem putat Jesuita se mutuo accipere à nobis. Sic enim ait: *Ratio est, quia adversarii (Lutherani) tria requirunt ad Sacramentum, nempe Symbolum externum, promissionem gratiæ, & divinam Institutionem.* Verum hæc sine aliqua dilucidatione

datione non sunt prætermittenda. Quæ enim Nostrates ad Sacramenti Constitutionem requirant, apparet ex Chemnitio in Exam. Conc. Trid. pag. 2. de Sacram. Numero; ubi multo plures Conditiones ad Sacramentum requisitæ enumerantur.

33. Ponamus tamen interim, hæc tria esse præcipua Requisita videlicet 1. **Constitutum à Christo externum visibile ac substantiale Elementum**, cui 2. annexa sit **promissio gratiæ** seu justificationis per illud destinatum Symbolum conferendæ, applicandæ & obsignandæ, idq; 3. **ex institutione ipsius Christi Salvatoris** ab Evangelistis & Apostolis consignata. Hæc à nobis ad Sacramenti Constitutionem requiri meminerit Jesuita, si de nostro velit argumentandi materiam petere.

34. Videamus jam **Minorem** propositi Syllogismi, quam Autor per partes probare instituit. Ac de primo quidem Requisito ait: *Symbolum externum est Unctio cum Oratione fidei.*

35. R. Unctio sive Oleum, non diffitemur, quin si Deo ita visum fuisset, potuisset esse externum alicujus Sacramenti Symbolum: at verò quia deest Christi autoritas, certum est Oleum seu Unctionem nullius Sacramenti Symbolum esse.

36. Quod autem Orationem fidei conjungit adversarius cum Oleo, id verò nihil est.

Nam Symbolum Sacramentale est medium ex parte **DEI** nobis aliquid conferendi.

At Oratio fidei non est medium ex parte **DEI** nobis aliquid conferendi, E.

B 3

Major

Major patet inductione SS. Baptismi & Eucharistia, in quorum illo per aquam in verbo DEI nobis confertur vita Spiritualis, Gratia, remissio peccatorum: in hac verò per elementa panis & vini offertur nobis Corpus & Sanguis Christi in remissionem peccatorum, & oblationem gratia.

Minor manifesta est. Etenim Oratio est Medium ex parte nostri ad DEUM deferendi onera, quæ nos premunt. Non igitur potest esse externum Sacramenti Symbolum. Sic August. in Pl. 85. *Oratio tua Locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris.*

37. Cur autem Apostolus conjungit **Uctionem** & **Orationem**? R. 1. Ex D. Marco audivimus **Oleum** tempore Apostolorum fuisse **Medium miraculosæ sanationis**, quæ tamen cum sine fide atq; Oratione non possit contingere, rectè conjunctim ponitur. Sic Christus rogatus ut sanaret dæmoniacum Marc. 9, 13. respondet: Si potes credere: omnia sunt possible credenti. Sed propterea non sequitur, hæc duo conjunctim esse Symbolum aliquod Sacramentale. 2. Deinde duplex est **Curatio**; Una animæ, quam promovet oratio fidei, sicut disertè ait Apostolus I. d. καὶ ἡ δὲ χη τῆς πίστεως σώσει τὸν κἀμνοντα &c. Item καὶ ἀμαρτίας ἢ πεπονηκῶς ἀφεθήσεται αὐτῷ. Altera est **Curatio Corporis**, quæ post remissa peccata, peracta fuit tum temporis mediante oleo.

38. Porro de altero requisito sic ait Becanus: *Promissio gratia continetur illis verbis: Si in peccatis fuerit remittetur ei.*

39. R. Siccine verò ais Becane? Ita quidem est, promitti remissionem peccatorum; sed si debeat esse Sacramentalis promissio, necesse est, ut sit adstricta ad externum
illud

illud Elementum, per quod veluti per Medium conferatur, sicut in Baptismo per aquam, & in S. Eucharistiâ per panem ac vinum nobis conferuntur beneficia promissa. Jam in allegato loco Jacobi effectus Remissionis peccatorum non tribuitur Unctioni, sed Orationi fidei, cui aliàs quoq; promissa est Joh. 3. Matth. 28. Quod addit Jesuita de peccatis venialibus ac mortalibus, nunquid hæc saltem vel illa, vel utraq; remittantur, id tantâ dubitatione indignum est. Nos enim per DEI gratiam, scimus quod nulla condemnatio sit in illis, qui sunt in Christo Jesu, hoc est, qui in nomen ejus credunt. Rom. 8, 1. Joh. 1, 12.

40. De Tertio ita opinatur adversarius: *Institutio divina necessario colligitur ex promissione gratiæ: quia Jacobus non promitteret aegroto remissionem, peccatorum per externam, Unctionem, nisi Deus instituisset, ut talis Unctio haberet vim remittendi peccata. Hoc enim non pendet ex Voluntate aut potestate humanâ aut angelicâ sed solum divinâ.*

Hinc argumentum.

Illud elementum externum per quod Jacobus promittit remissionem peccatorum, à Deo institutum est ut Sacramentum.

Sed Unctio extrema est illud elementum externum, per quod Jacobus promittit remissionem peccatorum. E.

41. Ad hoc argumentum R. primo in genere monendo, Jesuitas non habere expressum Scripturæ Testimonium de Institutione Dominicâ, sed confugere alios ad Traditionem, viam sternente Concilio Tridentino; alios verò ad alia diverticula; cum tamen omne propriè dictum Sacramentum expressâ gaudeat Salvatoris institutione, adeò ut D. Paulus tam cautè & sanctè protestetur, se à Domino accepisse, quod tradiderat Corinthiis, 1. Cor. 11, 23.

42. Dein-

42. Deinde cum in Institutione Christi consistat caput causæ, ita ut cætera requisita inde dependeant, hæc potius per illam erant demonstranda, quàm per ista Institutio.

43. Sed quicquid sit de Majore, Minor est falsissima. Probet Jesuita si vir est, Remissionem adscribi Uctioni. Expressa est litera: καὶ ἡ δὲ χη τῆς πίστεως σώσει τὸν κἀμνοντα. Item: καὶ ἀμαρτίας ἢ πεποικηώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Fidei igitur atq; Orationi attribuitur à Jacobo, quod adversarius Uctioni vendicat. Hic est Candor, hæc fides Jesuitarum.

44. Cæterum ex his dictis ac deductis nos pro parte Negativâ has colligimus rationes. 1. à defectu Institutionis.

Omne verum Sacramentum habet expressum DEI verbum de sui dominicâ Institutione.

Extrema Uctio non habet expressum DEI verbum de sui Institutione. E.

45. 2. à Negatione finis, qui est conferre, applicare & obsignare promissionem gratiæ per Externum constitutum Elementum.

Omne Sacramentum confert gratiam justificationis.

Extrema Uctio non confert gratiam justificationis.

E. illa non est Sacramentum.

MINOR hujus Syllogismi ἐκπεριωρῆ probatur, quia illa Uctio, quæ apud Marcum occurrit, eadem est cum illa
cujus

cujus meminit Jacobus, sicut ipfimet ex parte fatentur ad-
verfarii.

At illa Marci Unctio non confert gratiam, fed est quafi
Medica consentientibus ipsis. Ergo nec hæc confert gra-
tiam, quæ apud Jacobum habetur.

II. THEMA.

De Materiâ Extremæ Unctionis.

46. Postquam igitur constat hoc Unctionis Sacra-
mentum fabulam esse, juvat ulterius animi gratiâ ex Becano
cognoscere reliquum illius apparatus, qui in conquisitione
causarum consistit.

47. Ac primum **Materiam** hujus sui Sacramenti
facit Jesuita *Oleum Olivæ ab Episcopo benedictum* q. 3. Dicit
enim Jacobus: Ungentes eum oleo. Ubi licet Apostolus
dilertè benedictionem non requirat, tamen ait Adversarius,
*haberi hoc ex Usu & Traditione, nec ex solâ Scripturâ suffi-
enter convinci posse.*

48. Habemus igitur **Confitentem Reum**.
Enimverò egregium Sacramentum, cujus essentialia à Tra-
ditione *μητροπαρεδότω* sunt repetenda! Ita nimirum Pon-
tificii verbum *ΔΕΙ ἔγγραφον*, interpretantur per verbum
ἀγγραφον. Atq; hæc est illa toties jactata Ecclesiæ Romanæ,
ἀσφάλεια, quâ super Petramne dicam, an arenam ædificata
contra ingruentem hæreseων imbrem potest consistere.
Matth. 7. v. 25. & 27.

49. Sed ut ad rem redeamus, oportet illud oleum esse Oleum olivæ. Etenim, sicut severè censet Petrus de Palude apud Georg. Bustum Vercellensem art. 3. *nec Papa facere posset, quod de oleo nucum quantumcunq; consecrato esset hoc Sacramentum, quandoquidem Sacramenti materiam mutare nequeat.* Nugæ! In sacris nihil est, nisi simpliciter Oleum.

III. THEMA.

De Formâ Extremæ Unctionis.

50. Formam Sacramenti ait Becanus q. 4. consistere in his verbis: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, & sic consequenter de cæteris sensibus.* Jubent enim Papistæ ungi ægrotum *in oculis* propter visum, *in auribus* propter auditum, *in naribus* propter odoratum, *in ore* propter gustum vel locutionem; *in manibus* propter tactum, *in pedibus* propter gressum, *in renibus* propter delectationem ibidem vigentem, sicut recitat Canisius in Catechismo suo ex Concilio Florentino, sub tit. Extr. Unctionis cap. 1.

51. Quod si quæras unde habeant hanc formam? respondebit iterum Georg. Bustus Vercellensis fol. 324. *Licet hæc formâ expressè tradita in sacris scripturis minimè legatur; hæc tamen habet Ecclesia ex Apostolorum Traditione.* Quamvis enim aliqui formam Sacramenti colligant ex illis verbis: *Orent super eum, & Oratio fidei salvabit infirmum;* tamen, addit Becanus q. 4. *Concl. i.* ex his verbis non colligi formam determinatam, sed solùm in genere requiri Orationem Sacerdotis.

Ergò

Ergò si fiat Oratio quibuscumq; verbis, sufficere ait, ad effectum hujus Sacramenti; & paulò post subjungit, ex formarum diversitate colligi, nihil esse jure divino determinatum. Bellissima Responsio!

52. Nos ex dictis ita argumentamur:

Quicquid habet formam ac materiam non ex verbo DEI, sed ex incertâ Traditione, illud non est Sacramentum.

Unctio Extrema habet formam ac materiam non ex verbo DEI, sed ex incertâ Traditione.

E. Extrema Unctio non est Sacramentum.

Incertain autem meritò dicimus Traditionem, quia Jesuitæ parum referre ajunt, quâ utantur formâ, cum jure divino nihil sit determinatum. In sacris est ἀλειψίς perunctio sive illitio vel olei affusio.

IV. THEMA.

De Effectu Extremæ Unctionis.

53. Quæstione 5. & 6. Capitis 27. disquirat Becanus de præcipuo Effectu hujus sui Sacramenti. Ac primum quidem recenset quosdam, qui statuunt Remissionem peccatorum venialium esse effectum hujus Sacramenti: quosdam etiam, qui afferant hoc Sacramentum tollere reliquias peccatorum: deinde verò pro se ita statuit,

§4. Primum, hoc Sacramentum primario institutum esse ad
Confortandum animum hominis agrotantis contra difficultates illi occu-
rentes in articulo mortis, juxta illud Jacobi: Et alleviabit eum
Dominus. Hinc ait, sequi gratiam Sacramenti hujus non
consistere in solâ remissione seu expulsionem alicujus culpæ
vel pœnæ, sed præcipue in collatione auxiliorum gratiæ, qui-
bus homo in tali casu juvetur & corroboretur.

§5. Deinde ait hoc Sacramentum secundario esse institutum
ad disponendam ac preparandam animam ad introitum gloriæ, teste
Conc. Trid. Sess. 14. Sequi igitur inde 1. per hoc Sacramen-
tum saltem secundario tolli peccata quoad culpam relictam
in animâ. 2. remitti etiam reatum pœnæ temporalis relictum
ex peccatis quoad culpam remissis.

§6. R. Quis non audit Becanum narrare sua somnia?
Neq; enim venialia peccata tollit Unctio, neq; peccatorum
quorumlibet reliquias, quia remissio peccatorum, cujus in
Jacobi Epistolâ fit mentio, disertè tribuitur non Unctioni
sed fidei.

Quicquid igitur in Sacris planè non dicitur
peccatorum remissionem operari, id ne venialia
quidem tollit, vel alius peccati reliquias.

Sed Unctio Extrema in sacris planè non di-
citur peccatorum remissionem operari. E.

MAJOR prob. Quia in Articulis fidei ab autoritate
negata bona est consequentia, cum non sit in hominis aut
angeli arbitrato aliud comminisci Evangelium. Gal, 1, 8.

MINOR demonstrata est supra, & manifesta est ex
Contextu 2. Taceo jam quod post remissam culpam nulla
amplius superfit pœna, nullumq; peccatum, quoad reatum.

§7. Sed

57. Sed nec ad confortandum animum in articulo mortis adversus obvenientes spirituales difficultates quicquam prodest hæc Unctio, quippe quæ tota fuit Corporalis, & quantum ad spirituales effectum attinet in sacris planè est *ἀδυσπότης*.

Nec est ut latibulum quærat adversarius in verbis: alleviabit eum Dominus; *καὶ ἐγερῆ αὐτὸν ὁ κύριος*. Nam τὸ ἐγείρειν significat allevare, excitare, sanitatem largiri, sicut Marci 1. 31. usurpatur: *καὶ προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν* & accedens elevavit eam (sc. socrum Petri febricitantem) & reliquit eam febris, Sic & alibi. Matth. 9, 6. Joh. 5, 8.

58. Quod autem hoc loco idem significet, colligitur ex Evangelistâ Marco, qui *θεραπεύειν* dicit, quod Jacobus *ἐγείρειν* appellat, Quod enim apud D. Marcum factum esse commemoratur, id hoc loco apud Jacobum futurum esse promittitur.

Sed Sanitatis Corporalis restitutio dicitur facta esse apud D. Marcum.

E. Eadem h. l. apud Jacobum dicitur futura esse.

MAJOR probatur. Quia Uterq; loquitur allegatis verbis de Unctionis effectum vel eventu.

MINOR est extra controversiam, siquidem Ipsi Papistæ fateantur τὸ θεραπεύειν apud D. Marcum pertinere ad Sanitatem Corporis. Et unde aliud probarent?

59. Et quid ad corroborandum animum opus est medio ejusmodi fictitio, cum in Medica animarum Officina alia sint in promptu ab ipso DEO præscripta Alexipharmaca? Habemus enim 1. **Verbum DEI**, quod est potentia

DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1. vers. 16. 2.
Usus utriusq; Sacramenti inprimis Eucharistiæ, quæ
obsignatur in nobis gratia & peccatorum remissio. 3.
Fidem, Johan. 11. v. 25. Qui credit in me, etiamsi mor-
tuus fuerit, vivet in æternum. Hebr. 3. v. 14. Participes fa-
cti estis Christi, si tamen initium fiduciæ usque ad finem fir-
mum retinueritis. Quod si autem hos effectus extra ver-
bum DEI tribuamus Unctioni, detrahemus non parum,
Mediis ab ipso DEO institutis, quod tamen à nobis meritò
est alienum.

60. Quod ulterius quærit Becanus, *numquid Unctio
aliquando tribuat Sanitatem Corporis*, id si de Primitivâ Ecclesiâ
intelligatur, de nihilo non est. Testatur enim id D. Mar-
cus disertè & Jacobus locis allegatis. At si, ut videtur, de
moderno quærit Ecclesiæ statu, id neque ex Marco, neque
ex Jacobo potest demonstrare. Loquuntur enim illi de
Tempore Apostolorum & statu primitivæ Ecclesiæ, ubi do-
num Miraculorum adhuc fuit in vigore, quod postquam
cessavit, frustra est Jesuita cum suâ Quæstione. Nec casâ
nuce digna est fabula, quam ex Bernhardo de Malachiâ
recitat Canisius. Novimus enim, quod Tractatus ille sit
Spurius nec autore Bernhardo conscriptus, quemadmodum
etiam in Editione Bernhardi Basileensi inter supposititia re-
censetur. Quin & Antonius Possevinus in apparatu Sacro
Vitæ Malachiæ in Catalogo supposititiorum consignavit,
quamvis obiter addat eam inde esse demendam. Hoc au-
tem est unâ manu dare & altera repetere, sive, sibi ipsi Con-
tradicare.

V. THE-

De Ministro Extremæ Unctionis.

61. **Ministram** hujus sui Sacramenti dicit Be-
nus esse solum **Sacerdotem**, ita ut ab alio validè confici
non possit; quod probat 1. *Ex Communi sententiâ*, & 2. *ex illo Ja-*
cobi: Inducat Presbyteros Ecclesiâ.

62. **R. 1.** Falsum est quod præsupponit adverfa-
rius, esse in Novo Testamento **Sacerdotes** propriè di-
ctos sicut supra probavimus. 2. **Quænam** verò est illa
Communis sententiâ? Procul dubio Scholasticorum
& aliorum Pontificiorum. At illi sunt pars litigans: ideo-
que testes minus idonei. Probetur ex sacris illa **Communis**
sententiâ, 3. Nec ex **Jacobo** quicquam probatur. Appel-
lat enim ille simpliciter *πρεσβύτερος*. Ergone statim intelligit
Sacerdotes, Talis enim fieret **Collectio**:

O. Presbyteri sunt Sacerdotes:

Sed Ministri Unctionis sunt Presbyteri. R.

63. **Major** nunquam probabitur **Universaliter**.
Propriè enim *πρεσβύτερος* significat **Majorem** natu, cui
opponitur *ὁ νεώτερος* adolescentior. Luc. 15. v. 12. & 25.
Deinde verò non negamus quod *καὶ ἐξοχήν* de **Officio** su-
matur & nonnunquam significet **Ministram** Ecclesiæ publi-
cum, sicuti accipitur Tit. 1. v. 5. *καταθήκης κατὰ πόλιν πρεσβύ-*
τέρους, constitues oppidatim **Presbyteros**, qui sint **Episcopi**
& **publici Ministri**. At unde probabunt **Pontificii** h. l. sic
usur-

usurpari? Cum igitur Major particularis sit, neganda est consequentia argumenti.

64. Porro posito, sed non Concesso, per Presbyteros intelligi Publicos Ecclesiæ ministros; tamen ex Extremâ Unctione nondum efficitur Sacramentum. Non enim omnes actus Ministrorum in Ecclesia olim fuere, vel etiamnum sunt Sacramentales. Nam Concionari, Consolari, intercedente Unctione sanare &c. fuerunt illorum actus, neque tamen Sacramentales, quemadmodum ipsi coguntur fateri Jesuitæ.

VI. THEMA.

De Suscipiente.

65. Tandem ut quis suscipere possit Extremam Pontificiorum Unctionem requirit Becanus 1. ut sit Christianus & Baptisatus. 2. ut infirmus, idq; 3. gravissimè & cum periculo mortis. 4. ut sit adultus & compos rationis. 5. ut ne sit excommunicatus. 6. ut sit à peccatis, quorum sibi conscius est, absolutus.

66. Verum has conditiones cum præter secundam de infirmitate, nullius fiat mentio apud Marcum vel Jacobum, consentaneum est non fuisse observatas in primitiva Ecclesia, nisi fortè excipias primam & quintam. Credibile enim est Excommunicatos, si qui fuerint, fuisse primum admonitos de causa atq; occasione peccati, atq; sic ad frugem revocatos, antequam fuerint sanitati restituti. Cæteræ sunt suaves nugæ.

VII. THE-

De Necesitate.

67. De Necesitate Unctionis extremæ ferè nobiscum sentit Becanus. Ait enim *hoc suum Sacramentum non esse necessarium necessitate vel Medii vel Præcepti*. Et rectè. Nam i. ut supra deduximus, alia longè præstantiora sunt media pro hoc fine assequendo, veluti ipse ait, *Pœnitentia & Eucharistia*, sic tamen ut Pœnitentiæ titulo post contritionem seriam etiam fidem salvificam & promissionis gratiæ applicationem accipiamus. Deinde nullum extat in sacris Præceptum, quod toties dictum est.

Relinqvitur ergò non esse illud necessarium.

Ex dictis igitur atq; Confessis ita concludimus.

Omne Sacramentum est necessarium sub necessitate & medii & præcepti.

Sed Extrema Unctio non est necessaria sub necessitate medii aut præcepti.

E. Extrema Unctio non est Sacramentum.

MAJOR patet Inductione Baptismi atq; Cœnæ Dominicæ, quæ duo Sacramenta citra controversiam ab utraq; Parte recipiuntur tanquam media Salutis ab ipso Christo nobis instituta.

MINOR est Becani. Salva igitur est nostra Conclusio.

68. Sub finem placet apponere ipsum Jacobi textum cum Pontificiorum interpretatione. Sic

D


verò


veris ionant verba: Infirmatur quis (*baptisatus, non excommu-
nicatus, sed à peccatis absolutus, morbo lethali, ut sit in periculo mortis*)
in Vobis? accersat Presbyteros (*Episcopum vel Sacerdotes*) Ec-
clesiæ, & orent super eum, Ungentes eum (*in oculis, auribus,
naribus, ore, manibus ac pedibus & renibus*) oleo (*exorcisato & qui-
dem in feriâ quintâ Cœnæ Dominicæ*) in nomine Domini. Et
oratio fidei (*unâ cum Unctione*) salvabit infirmum; & alleviabit
(*spiritualibus Confortationibus adversus tentationes Diaboli animabit*)
eum Dominus; & si fuerit in peccatis (*venialibus vel peccato-
rum reliquiis*) remittentur ei.

69. Hæc est interpretandi methodus apud Pontifi-
cios, qua constat, eos fabulosis suis traditionibus Verbum
DEI ita evacuare, ut quantum in ipsis est, nobis præter lite-
rarum putamina ferè nihil relinquere velle videantur. DEUS
avertat hanc pestem, suiq; verbi puritatem juxta atq; Sacra-
mentorum integritatem nobis usq; ad Mundi Consumma-
tionem conservet intemeratam; Cui sit laus
& gratiarum actio.

Amen.

F I N I S.





Σὺν Θεῷ
Disputatio Theologica *ἀνασκευαστικῆ*
De
EXTREMA UNCTIONE
contra Becanum;
Quam
In Inclytâ Academiâ Lipsiensi
Fussu atq; Autoritate Adm. Rev. atq; Amplissimi
Collegii Theologici
Sub Præsidio
Adm. Rev. Amplissimi atq; Excellentissimi Viri
DN. HEINRICI HÖPFNERI SS. Theol.
Doct. & P. P. celeberrimi &c.
Domini Præceptoris Fautoris ac Patroni sui
meritissimi
Pro collato sibi Baccalaureatus titulo in SS. Theologiâ,
publico Examine subijciet
M. ANDREAS KUNAD SS. Theol. Bacc.
Electoralis ad Salam Gymn. Rector.
ad d. 10. Septemb. Anno Salutis
M. D C. XXXIII.



L I P S I Æ,
Excudebant hæred FRIDERICI LANKISCH.

THM 108

